Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25944
Copyright: Admont, Benediktinerstift

solidos solui debere precipiatur de ecclesiastico paulo inferius sic iubetur. Si quis
ecclesiasticum hominem occiderit. c solidis componatur. Si vero in ecclesia hominem non ecclesias-
ticum quis occiderit Ludewicus imperator ubi de ecclesiarum honore loquitur. hoc modo in un-
dicam constituit dicens. De occisis in ecclesia.
Si quis ex levi causa aut sine causa hominem occiderit de vita componat. Si vero
rixati foris fuerint et unus alterum in ecclesiam fugaverit et ibi se defendendo inter-
fecerit et huius rei testes habuerit cum xii testibus iuret legitimis. se defenden-
do eum interfecisse et post hec solidos dc. ad partem ecclesie quam illo homicidio
polluerat et insuper bannum nostrum .i. lx solidos cogatur solvere. Is vero qui interfectus est
absque compositione iaceat. ac deinde secundum iudicium canonicum congruam
facinori quod admisit penitentiam accipiat. Si proprius servus hoc commi-
serit. iudicio aque ferventis examinetur. utrum hoc sponte fecisset.
ac se defendendo. et si manus eius fuerit adusta. interficiatur. Si autem non fuerit.
dominus eius iuxta quod weregeld illius est ad ecclesiam persolvat. vel si voluerit eidem ec-
clesie tradat. De ecclesiastico et fiscalino et beneficiario volumus. ut una vice we-
rigeld pro eo componatur. altera vice servus ad supplicium tradatur. Hereditas tamen li-
beri hominis qui propter tale facinus ad mortem fuerit iudicatus. ad legitimos illius he-
redes perveniat. Si in atrio ecclesie cuius porta reliquiis sanctorum consecrata est huiusmodi ho-
micidium perpetratum est componatur et emendetur. Si vero non est consecratum. eodem modo componatur. sicut
componi debet quod in immunitate violata committitur. De occisis sacerdotibus.
De sacerdotibus vero et ceteris qui in sacris ordinibus promoti sunt. hoc antiqua regum et imperatorum
institutio habebat. ut si extra ecclesiam aut in immunitate occiderentur aut aliquo
modo dehonestarentur. simpliciter tamen iuxta cuiusque compositionem solverentur. si autem in ecclesia oc-
ciderentur aut usque ad sanguinis exitum cederentur. vel si ictu quolibet lesi. non tamen ad
sanguinem duriter pulsarentur. quisque tamen iuxta singulorum graduum compositionem tripliciter
componerentur. Sed quia hec vindicta impia tyrannorum presumptione parum se ab in-
iuria clericorum compescuit. placuit postea omnibus tam episcopis quam et regibus et cunctis reg-
ni primatibus ut extra ecclesiam quilibet interfecti. ita componerentur sicut prius componebantur
si extra ecclesiam occiderentur. Que ita facile esse monstrabantur. cum precepta super
his facta ponerentur. Sed ne aliqua in his ponendis dubitatio oriatur. quid vocetur
compositio que in ipsis totiens ponitur et quare sic vocetur non incongruum nobis de-
monstrandum videtur. Quid vocetur compositio. Compositio autem proprie vo-